



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

VII. Fragment einer päpstlichen Bestätigung des Erzbisthumes Magdeburg, mit eingeschalteter Relation über dessen Stiftung.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

deliberandum praecantes, ne per inuidiam fidei tanta scilicet plebs, deo nouiter acquisita, callidi hostis, quod abſit, rapiatur inſidiis; Vnde quia confrater et coepiſcope noſter clerus et populus ſanctae magdaburgenſis aecclēſiae te olim ad gentes miſſum ad archiepiſcopalem ſedem promoueri et eidem ſedi inthronizari queris, ſicut bonae memoriae praedeceſſorem noſtrum zachariam papam beatum bonifacium ad gentes deſtinatum aecclēſiae mogonciēſi inthroniſſe ſciunt, religioſis deſideriis nichil tarditatis impendo, ſed priuilegio noſtrae auctoritatis dignum te eſſe archiepiſcopum iudico. Vnde quia ad hoc agendum ad apoſtolicam ipſe ueniſti, pro amore beatorum Mauricii et innocentii et eorum ſanctorum, qui magdaburg requieſcunt, et praedicti ſpiritualis filii noſtri ottonis imperatoris auguſti peticione, qui euſdem aecclēſiae auctor et fundator eſt, et quia ad proſectum critianae religionis et innumeri populi ſalutem ualere ſcimus, ipſi pallium tibi ad miſſarum ſollempnia celebranda damus, ipſi nimia dilectione commoti circa te ponimus, et eo te ſicut archiepiſcopum mogontienſem et treuērenſem uti concedimus, Praeterea ſtatutis hiſ diebus, in natali domini, epiphaniae, reſurrectionis domini aſcenſionis, pentecoſtes, nataliis apoſtolorum, ſancti laurentii et feſtiuitate ſanctae uirginis mariae et eorum ſanctorum, qui magdaburg requieſcunt et in conſecratione ſuffraganeorum tuorum epicoſorum et dedicationibus aecclēſiarum et in die nataliis tui et ita tuis in poſterum ſucceſſoribus ex auctoritate apoſtolicae ſedis praefenti priuilegio concedimus et confirmamus, ita tamen, ut unusquiſque, qui pro tempore fuerit ab apoſtolica ſede ſecundum morem illud recipiant. Itaque uita tua filiis tuis ſit regula, in ipſa ſi qua torcitur (ſic) illis iniecta eſt dirigantur, in ea quod imitentur aſpiciant, in ipſa te ſemper conſiderando proficiant ut tuum poſt deum uideatur eſſe bene quod uixerint. Cor ergo neque proſpera quae temporaliter blandiuntur extollant, neque aduerſa deiciant, ſed quicquid illud fuerit uirtute patientiae deuincatur: nullum fauor indifcretus (ſic) inueniat, diſtictum mali cognoſcant, inſontem apud te culpabilem ſuggeſtio mala non faciat, nocentem gracia non excuſet. Sancta trinitas fraternitatem ueſtram graciae ſuae protectione circumdet atque ita in timoris ſui uia nos dirigat ut poſt uite huius amaritudinem ad aeternam ſimul peruenire mereamur dulcedinem. Scriptum per manum ſtephani notarii regionarii et ſeriniarii ſanctae ſedis apoſtolicae in meſe octobrio (ſic) et indictione duodecima. Bene ualete. Datum quinto decimo kal. nouembrio per manum widonis epiſcopi ſanctae ſiluae candidae aecclēſiae et bibliothecarii ſanctae ſedis apoſtolicae, anno deo propicio pontificatus domini iohannis ſummi pontificis et uniuersalis XIII pp. in ſacraſſima ſede beati Petri quarto, Imperante domino noſtro auguſto ottone a deo coronato magno imperatore anno VII, filioque eius anno primo, indictione XII, Dominicae incarnationis D. CCCC. LXVIII anno.

Nach dem Liber priuilegiorum ſ. Mauricii in Magdeburg fol. 1 u. 2. — Zu vgl. Leuckfeld, Antiq. Halb 653. — Königs Reichs-Archiv XVI, 2, 16. — Beyſen, Magazin I, 136.

VII. Fragment einer päpſtlichen Beſtätigung des Erzbithumes Magdeburg, mit eingeaſchalteter Relation über deſſen Stiftung.

Quoniam a deo euſque dilecto ſectatore ſancto petro principe apoſtolorum, cuius ſede et uice indigni fungimur, ante alios fratres noſtros noſtri ſcilicet nominis epiſcopos poteſtatem accepimus roborandi & defendendi aecclēſias per totum orbem longe lateque diſfuſas, maxime autem eas, quae ſedis romanae ſcilicet aecclēſiae mundiburdio ſpecialiter ſubiacent; Idcirco omnibus fidelibus criſti notum eſſe

nolumus qualiter primus et maximus ottonum, otto uidelicet bone memorie imperator augustus, magadaburg aecclēsię ciuitatem super ripam albię fluminis, in parrochia haluerftadenfis aecclēsię sitam, propter tocius ultra montanę aecclēsię utilitatem a fundamento construxit eamque eo usque promouit, ut inibi congregata maxima multitudine clericorum et laicorum, aecclēsiam in honore beati principis apostolorum petri & sanctorum martirum Mavricii et innocēcię, quorum corpora cum maxima parte legionis eiusdem illuc transtulit consecrari pręciperet. Crescente autem in his finibus cristiana religione cum promociōe supradictę ciuitatis a piissimō ottonē decretum est, ut ultra fluuios albiam et salam et odoram in ciuitatibus, in quibus olim barbarici ritus maxima ingruit superstitio, quarum nomina sunt haec: Cītizi, Misni, Merseburg, Brandenburg, Hauerbergan, Poznani, in honore sancti saluatoris domini nostri ihesu cristi episcopia fundarentur, quod et diuina fauente clemencia ita peractum est. Pastoribus ergo predictarum ciuitatum non habentibus metropolitanum, ad quem secundum canonicam auctoritatem cum suis causis confluerent, serenissimo imperatori, magno uidelicet ottoni cum omnium suorum optimatum consensu placuit, quatenus in ciuitate magadaburg, quia in pacatioribus partibus sita, diuinę et humanę municiōis copia cingebatur, si ullo modo parrochię pertinentia ab hilliuuardo halberftadenfis episcopo aecclēsię eiusque metropolitano Hattone acquirere posset, archiepiscopatum construeret. Vnde factum est, ut post aliquot temporum interualla gloriosissimo imperatore in palatio rauennatis aecclēsię pro communi fidelium statu feliciter gubernando morante, Hatto Moguntinę aecclēsię archipraesul et hilliuuardus halberftadenfis aecclēsię venerabilis episcopus illuc cum suis omnibus peruenirent, Quos sanctissimus cesar otto, quia prius secundum ecclesiasticum morem pio predecessore nostro iohanne, qui summi pontificatus monarchiam in his temporibus obtinebat, Magadaburgensis loci archiepiscopatum per consensum synodalis decreti statuente atque confirmante subscriptione episcoporum italiae, gallię, germanię cum omni caritate suscepit ea uidelicet ratione, si parrochiam imminentem a halberftadenfis aecclēsię episcopo accipere potuisset, cum petro rauennatis archiepiscopo omnibusque comprovincialibus episcopis pro hoc placito finiēdo conuenit. Itaque hilliuuardus episcopus cum consensu sui metropolitani hattōnis iustis petitionibus annuens bannum, decimationes totamque parrochiam suam, quę inter fluuios aram, albiam, salam et bodam et occidentales partes burguardiorum, ad has ciuitates pertinentium sita est, hoc est undesburg, wanzleua, haldesleua, in manus imperatoris et episcoporum ad edificationem Magadaburgensis archiepiscopatus tradidit atque concessit. Quo finito imperator cum omni maturitate romam ueniens ac athelbertum episcopum inprimis rugorum prouincię destinatum, non sua autem ignauia sed illorum nequitia depulsum, quam quidem scientia, sanctitate uitę morumque probitate nullum profus ei similem inuenire potuit, a summo pontifice ad magadaburgensem archiepiscopatum ordinari pręcepit, ea uidelicet ratione, ut idem archiepiscopus, cum suis successoribus et cum loco sibi comisso mundiburdio sancti petri siue uicarii perpetuo subiectus, potestatem haberet supra dictarum ciuitatum episcopos ordinare, itidem suis successoribus uicissitudine exigente manibus suffraganeorum consecrandis. Ex hac igitur concessione adalbertus primus sanctę magadaburgensis aecclēsię archipraesul Jordanem episcopum poznanensis, Hugonem ciciensis, Burchardum misnensis, Bosonem merseburgensis, Dodilonem brandenburgensis, Tudonem hauerbergensis aecclēsię consecrauit. Ad haec praedecessor noster uidelicet apostolicus adelberto archiepiscopo tribuit potestatem suisque successoribus, ut non nisi a romane sedis nuntio intronizandi ipsi tam in sua aecclēsiā, quam in aliis pro necessitate itineris statutis diebus pallium portent, crucis signaculum ante se ferant cardinales presbiteros in sua aecclēsiā ordinent, quorum numerus duodenario compleatur, qui ad maximum altare ministrantes cotidie

dalmaticis et festis diebus sandaliis induantur, similiter et diaconos septem cardinales habere concessit, dalmaticis omnibus diebus excepto ieiunio festis autem utentes sandaliis. Insuper archiepiscopum magadaburgensem inter cardinales episcopos nostre sedis confortium habere et per omnia archiepiscopis treuerensi colonienti, moguntienti equalem esse permittit. Quo facto imperator desiderio potitus adelbertum archiepiscopum cum privilegio et nichilominus praeceptis suae imaginis in omnibus tam proprietatibus quam comitatibus eorum roboraturum archiepiscopatum direxit. Vnde oportet ut nos diuina inspiratione et tanta geminae confirmationis auctoritate commoniti loco nostro mundiburdio subiecto prouideamus nunc et in posterum. Exinde et apostolica auctoritate eundem archiepiscopum cum omnibus pertinentiis suis, quae sunt in questis seu etiam in quirendis sigillo nostrae imaginis ac banni nostri praeceptione firmamus atque roboramus. Et si aliquis temerarius archiepiscopum eius loci inquietauerit seu proprietates distraxerit, nostra praeceptione uiolata, in die iudicii sciat se diuinae ultioni subiicere.

Nach dem Liber privilegiorum S. Mavricii in Magd. fol. 3.

VIII. Papsi Johann XIII. ermächtigt den Erzbischof Adelbert von Magdeburg, den Bischöfen jenseits der Elbe und Sale ihre Diöcesen einzutheilen und verordnet, daß der Erzbischof von Magdeburg künftig sowohl die Suffragane weihen, als selbst von diesen geweiht werden soll, im October 968.

Johannes, seruus seruorum dei, carissimo confratri nostro adelberto, sanctae Magadaburgensis aeccliesiae archiepraefuli, in domino aeternam salutem. Ita te frater carissime et coepiscope noster uita mores tui haecenus idoneum reddidere, ut multa tibi credere plura etiam committere sicut bono dispensatori non hesitem. Igitur quia ad pastorale culmen plebis tuae et comprovincialium tuorum et nostra post diuinam te auctoritas promouit et quia tanta scilicet plebs ultra fluuios albam scilicet et salam, deo nouiter adquisita paucis pastoribus minime tueri potest, qualiter episcopis tuae sedi subiectis parrochias rationaliter et congrue diuidas & distribuas tuae dispensationis et discretionis examini committo et hoc serenissimi spiritualis filii nostri Ottonis imperatoris augusti, qui eiusdem tuae aeccliesiae fundator & auctor est cura, diligentia et iudicio fieri per praesentis privilegii munimen statuo & confirmo. Sit ergo ab apostolica sede, cui deo auctore praesideo, aeccliesiae tuae concessum, ut ab eius rectoribus episcopi, qui ultra albam et salam constituti et constituendi sunt, post futuris temporibus consecrentur et ipsi eiusdem tuae scilicet aeccliesiae archiepiscopos, sicut pro tempore fuerint, consecrent, qui pallium secundum morem romanae aeccliesiae a nostra sede recipiant. Vnde, frater karissime, dilectionem tuam amoneo et obtestor, ut omnino sis sollicitus, ne aliquid sibi commodi datio seu gratia uel quorumlibet supplicatio personarum in sacris ordinibus uendicet, sed ad hoc officium ille perducat, quem morum grauitas commendat et uitae praeteritae actio. Oramus autem omnipotentem deum, ut sua te munitione circumagat et sacerdotum susceptum officium operibus implere concedat. Actum per manum stephani, scinarii & bibliothecarii sanctae romanae aeccliesiae, in mense octobri, Indictione statutum duodecima.

Nach dem Liber privilegiorum S. Mavricii in Magd. fol. 6.